



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 9. Synodi Ruræmundensis, Monasteriensis, & Hildesheimensis decreta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Treviris decessit. Hic toto regiminis Sæc. XVII.
 sui tempore quamplurimas adversitates, A. C. 1652.
 æmulum infectationes, captivitatem,
 corporisque & animi afflictiones, im-
 perterrita tamen mente sustinuit, va-
 riisque Canonorum subditorumque
 controversiis implicitus, quietem quam
 vivendo habere non potuit, tandem
 moriendo pene mortis suæ ignarus ob-
 tinuit; pridie enim ante Bachanalia die,
 quo ejus Aulici epulis & lætitiis pro
 more indulgebant, repente expiravit,
 quin Confessarius eidem adhuc sibi præ-
 senti assistere potuerit: nec tamen om-
 nino imparatus ad extremam hanc lu-
 ctam accessisse videtur; triduo enim
 ante obitum suum sacra adhuc Exomo-
 logesi, & SS. Eucharistiæ Sacramento
 præmunitus, mortis insidias antevertit.

§. IX.

*Synodi Ruræmundensis, Monasterien-
sis, & Hildesheimensis decreta.*

Postquam Andreas Crusenius Ruræ-
 mundensis Episcopus suam Diæce-
 sin lustraverat, ac pleraque in prioribus
 Synodis salubriter constituta, tempo-
 rum injuria, animique ad vetita pro-
 clivitate minus religiose observari anim-
 adverterat, hoc anno die vigesima ter-
 tia Septembris Synodum habuit, in
 B 5 qua

*Harz. Con-
 cil, Germ.
 tom. 9.*

Sæc. XVII. qua priores Constitutiones innovaturus, A. C. 1652. præprimis Domus Dei decorem sum-
 mopere commendabat, præcipiens, ut SS. Sacramentum in tabernaculo bene ornato, pyxide & ciborio nitidis affer-
 vetur, & nonnisi in necessitate, & sum-
 ma paupertate Ecclesiæ, calix stanneus toleretur, sæpius tamen mundetur, nec etiam Baptismus extra Ecclesias Pa-
 rochiales conferatur, exceptis casibus in jure permissis. Præcepit etiam, ut confessionalia, quæ nimis prope sum-
 mum Altare erant, ad Ecclesiæ navem, vel alium locum commodiorem trans-
 ferantur. Monuit etiam Pastores, ut non sint difficiles in licentia concedenda suis Parochianis, ut confiteantur alteri Sacerdoti sæculari vel Regulari appro-
 bato. Nullo autem modo permitten-
 dum censuit, ut Catholici copulentur cum hæreticis; licet enim ejusmodi matrimonia in terris, ubi Catholici mixtim vivunt cum hæreticis, permit-
 tantur, quia tamen hæc libertas in di-
 tionibus Regis Catholici non viguit, hinc nullos nisi confessos & communi-
 catos & quidem sub Missa copulari per-
 misit; prohibuit denique, ne supplica-
 tiones publicæ cum armis & bombar-
 dis, aliisque ejusmodi distractionibus celebrentur.

Eodem

Eodem anno die decima nona Octo-
 bris Cſtriphorus Bernardus a Gallen Sæc. XVII.
 A. C. 1652.
 Monasteriensis Episcopus in eadem urbe,
 in qua paulo ante Imperii pax confecta
 erat, nunc quoque Ecclesiæ decorem
 salutaribus decretis restaurare decrevit,
 celebrata hanc in rem Synodo Diæce-
 sana, in qua præcipue Clericos admo-
 nuit, ut a suspectis mulieribus, ebrie-
 tate, lusu, simonia, aliisque vitiis se-
 rio abstineant, ne Protestantes, quibus-
 cum conversari coguntur, Catholicis
 exprobrent, quod Cleri & Pastorum vita
 ac mores cum doctrina, & fidei con-
 fessione parum concordent: Eapropter
 omnes Clericos hortabatur Episcopus,
 ut ad morum emendationem in præ-
 cedentibus Synodis toties statuta dili-
 genter observari velint.

Denique Maximilianus Henricus
 Coloniensis Archiepiscopus, simulque
 Hildesheimensis Antistes die duodeci-
 ma Aprilis hoc anno suam habuit Sy-
 nodum, in qua sanctiones pro reforma-
 tione in prioribus Conciliis factas colle-
 git, & confirmavit.

§. X.

*Diversæ Sacrarum Congregationum
 Constitutiones.*

Sum-